



Mosheim / Joh: Laur: / Diss. de Ecclesia
Christi, Helmst: 1740

Vrsaffij / Christoph: Matth: / Diss.
de Coelo Beatorum, Tubinge
1722

Reudenij / Ambr: / Theses de
Symbolo Apostolico, Jene
1589

Diss. de Deo ac tribus
personis, Jene 1589.

18

PSALTES PROPHETA
DE
VERBIS
VLTIMIS CHRISTI
MORIENTIS

AD PSALMV M XXXI.

PRÆSIDE
JON. CONR. SCHRAMMIO
S. S. THEOL. D. ET PROF. PVBL. ORDIN.
CELEBERRIMO

RESPONDENTE
GEORGIO LAMMERS
DELMENHORSTANO

S. S. THEOL. STD.
IN ACADEMIA JULIA
A. MDCCXXVIII. D. XVIII. SEPT.
DISP. THEOL.

ILLVSTRATVS.

HELMSTADII
TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII
ACAD. TYPOGR.

REACTIENS PROPHETA

DE

VERBIS

ALAIMIS CHRISTI

MORIENTIS

AD PARSUM XXX

PRÆSIDIO

JON. CONR. SCHRÄMMIO

28 THEOD. FINNON ESTE ORIGIN

CHRISTIANO

RESPONDIT

GEORGE H. HARRIS

BRITANNIÆ

W. W. W. W. W.

A. M. C. X. X. X.

1800

— ARMA T. I. T.

TYRITALLIETIUM SCHRÖRRI

ACAD. TYOR.





§. I.



Decem Psalmi *Passionales* numerari solent, nempe 2. 16. 22. 31. 35. 41. 55. 69. 88. 109. ex quibus hunc XXXI. *Quartum* esse, satis quidem constat. Sed cum quartum quoque appellat CASSIODORVS, initium facit ab VIII. eosque potius spectat, qui simul *Passionem* & *Resurrectionem* Christi delineant. Largimur ergò hoc RASCHIO, item SIMEONI DE MUIS, & qui cum his sentiunt, quod eundem Davides fecisse videatur, cum vel *viri Ceile* ipsum in manus Saulis tradituri, I. Sam. XXIII. II. sqq. vel *Ziphæi*, ad quos ideò confugerat, Sauli prodituri essent, de quo ibid. v. 19. Largimur etiam, huc trahi statum hujus Prophetæ, quo tunc res ejus erant, quasi huc animum in componendo Psalmo intenderit, versumque Psalmi 24. *Retribuet abundanter facientibus superbiam*, ideò conferri cum I. Sam. XXIII. 26. 27. *Saul & viri ejus cingebant David, ut caperent eos. Et nuncius venit ad Saul, dicens: Festina & veni, quoniam infuderunt se Philisthiim super terram.* Item Ps. v. 6. *In manus tuas commendo spiritum meum; cum I. Sam. XXIII. 17. Neque irveniet te manus Saul patris mei.*

Et cum v. 14. *Non tradidit eum Deus in manus ejus.* Porro etiam Pf. v. 3. *Esto mihi in Deum protectorem* (Hebr. צור Petram,) & *in Domum refugii*; cum I. Sam. xxiii. 26. 28. *David autem & viri ejus erant in latere montis ex parte alterâ*; --- propter hoc vocaverunt locum illum, *Petram dividentem.* Denique Pf. v. 23. *Projectus sum à facie oculorum tuorum*; cum I. Sam. XXIII. 14. *Morabatur autem David in deserto in locis firmissimis, mansitque in monte solitudinis Ziph, in monte opaco.* Et quæ plura sunt ejus generis. Largimur denique aliis, cum THEODORETO, EUTHYMIO, BELLARMINO, magis in fugam Davidis propter Absalomum II. Sam. XVI. quadrare. At hæc nihil certi inferunt. Imò rectius eò referas Pf. XXII. vel similes. Hic verò magis congruere videtur cum illo statu Davidis, de quò paulò ante mortem ejus I. Reg. I. 1. *Et rex David senuerat, habebatque ætatis plurimos dies, cumque operiretur vestibus, non calefiebat.* Et ad ultima ejus verba rejeci poterit, de quibus II. Sam. XXII. 2. sqq. Et C. XXIII. 1. *Hæc autem sunt verba novissima David. Dixit David Filius Isai: Dixit vir, cui constitutum est de Christo Dei Jacob, egregius Psalter Israël.* Sic enim conveniunt mors ingruens Christo, & Davidi. Conf. v. 6. 11. 13. 23. Multò minus probant hæc, quæ in Psalmo occurrunt, in se potius, quàm in Christum Servatorem suum dixisse Davidem. Nam quomodo per *Justitiam Dei* sperare potuit Liberationem suam Davides v. 2. à quâ nihil nisi pœnæ & exitium ipsi imminebant? Aliter ipse Psalm. CXLII. 2. *Non intres in judicium cum servo tuo: quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Ac proinde, cum pro suâ liberatione instat, Gratiam implorat Pf. L. 3. 4. *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. Et secundum multitudinem mi-*
sera-

serationem tuarum dele iniquitatem meam. Idem quidem eod. Psalmo v. 16. *Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meae; & exaltabit lingua mea justitiam tuam.* At hæc justitia illa Dei est, in Christo exercita, de quâ etiam v. 21. Ipse verò hanc aliâ ratione in se applicare non poterat, nisi per Christum. Ideoque non nisi ex parte, & per reductionem quandam dicere potuisset David: *In Justitiâ tuâ libera me.* Quâ ratione & alia in se inde applicare potuit necessaria, nec omnia tamen, nec aliter, nisi per Similitudinem aliquam vel Typum. Unde GESNERVS: *Pericula Davidis Typi fuerunt Passionis Christi.* Et BAKIVS: *Ideò hanc Oden Christo tribuimus totam, primò, inde autem omnibus fidelibus, ceu Christi membris.* Et: *Hoc notatu dignissimum, hoc Psalmo Dominum mori voluisse, ut ante omnes alios agonizantibus ille commendaretur.*

§. II.

Propheticum inde esse, ut sunt alii hujus commatis, *Christumque Redemptorem nostrum*, in ultimo mortis articulo suspiria suprema ad Deum Patrem fundentem, nobis exhibere, persuasi sumus. Et quidem, quia (1) ipse verba ultima hinc repetit, quibus vitam, non sine summâ adstantium attentione claudit Luc. XXIII. 46. Ita enim in Psalmo, v. 6. *In manus tuas commendo spiritum meum:* Et Evangelista l. c. *Et clamans voce magnâ Jesus, ait: Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Et hæc dicens *expiravit.* Voces has esse morientium, Deoque animam reddentium, arguit etiam Stephanus, Apostolus Domini, de quo Act. VII. 58. 59. *Et lapidabant Stephanum invocantem, & dicentem: Domine Jesu, suscipe spiritum meum. --- Et cum hoc dixisset, obdormivit in Domino.* Manus quoque

Dei ideò nominantur, in quibus acquiescant Animæ Mortuorum Fidelium, Sap. III. 1. *Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis.* Cum quo consentit assertum illud Salomonis Eccl. XII. 7. *Revertatur pulvis in terram suam, unde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Et Petri exhortatio I. Ep. IV. 18. 19. *Si iustus vix salvabitur, impius & peccator ubi parebunt? Itaque & hi, qui patiuntur secundum voluntatem Dei, fidei creatori commendent animas suas in benefactis.* Quemadmodum verò notare solemus verba suprema Morientium, utpote quæ de his, quorum interest, nos docent præcipuè, ita quoque digna sunt ante omnia, quæ Christus pronuntiavit, imò altâ voce exclamavit, (*φωνῆ μεγάλῃ.*) cum ex hac vitâ discederet, ut & in spem nostram atque solatium, & in doctrinam ea capiamus, nostrasque etiam Animas cum ipso Redemptore nostro, quamprimùm è corpore exeunt, ad Deum festinare, suamque *repromissionem* in vitâ æternâ, juxtâ Apoc. VI. 11. Hebr. XI. 39. 40. *modico tempore expectare*, firmiter credamus. Et hæc quoque ratio esse videtur, cur idem confirmet Matthæus & Marcus, ille c. XXVII. 50. *Jesus autem iterùm clamans voce magnâ, emisit spiritum*; hic c. XV. 37. *Jesus autem emissâ voce magnâ, expiravit.* Scilicet non boantis adinstar aut desperantis, quod bestias arguit, omni spe privatas, sed loquentis, Deoque Patri confidentis, ut addit Lucas, l. c. Et prout eum imitati sunt Apostoli, Patres, Doctores, Hæreticique, paulò ante agonem ad Deum conversi, notante BAKIO l. c.

§. III.

Ut verò hæc verba à Christo recitata sufficiunt, & Clavem veluti præstant, ad investigandum nexum totius
Pfal-

Pfalmi, ut & è Psalm. XXII. 2. fieri posse, probavimus; imprimis si (II) ceteri quoque loquendi modi accedant, qualis est ille, de quo §. præcedente, quod per *Dei Justitiam* liberari Servator v. 2. & quod secundum hanc etiam, quam nunc suam Psalm. XXXIV. 27. nunc Divinam ib. v. 24. 28. nominat, iterum iterumque judicari velit: *Judica me secundum justitiam tuam, Domine, Deus meus; --- Exultent, & letentur, qui volunt justitiam meam. --- Et lingua mea meditabitur justitiam tuam.* Ita quoque nihil est, quod repugnet, nihil quod vel aliundè è Scripturis, vel ex hoc Psalmo obiici poterit. Equidem (a) Psalm. LXXI. eadem verba repetit David, & de suâ cantat personâ. *In te, Domine, inquit, speravi, non confundar in æternum: in justitiâ tuâ libera me, & eripe me. Inclina ad me aurem tuam & salva me. Esto mihi in Deum protectorem, & in locum munitum, ut salvum me facias. Quoniam firmamentum meum, & refugium meum es tu.* Sed jam illorum opinionem defendendam haud suscipiemus, qui & hunc Psalmum LXX. de Christo vaticinium esse, autumant; ut nec illorum, qui propter titulum à LXX. Interpr. adjectum: *Filiorum Jonadab, & priorum captivorum*; alium quàm Davidem fingunt ejusdem autorem: Imò verò id saltem addimus, quod vel hoc exemplo ostendat Vates Sacer, quomodo, quæ de Christo prædixit, ipse in statum præsentem, atque adeò in se ipsum derivare sano sensu, aliisque etiam relinquere possit eandem animi voluptatem, dummodò verbis iisdem, at paulò aliter sumtis utantur. Neque hanc eorundem verborum repetitionem absque causâ à Davidè fieri, idcirco arbitramur. Plura ejusmodi exempla ubi eundem Psalmum de diversis negotiis, vicibusque diversis, vel totum, vel ex parte adhibet, habemus Psalm. XXIV.

XXIV. 3. sqq. ubi de Regno Messiae vaticinatur ; & Ps. XV. 1. seqq. ubi Membrorum Ecclesiae generalis fit descriptio. Scilicet iisdem verbis. Et Psalm. LVII. 8. usque ad 12. Psalm. CVIII. 2. usque ad 5. Denique & tot. Psalm. XIV. & LIII. Ideòque eandem quidem Dei Justitiam utrobique intelligit, sed diversum liberandi modum. Nempe Ps. XXXII. Christus ipse liberatur per Justitiam Dei in se adhuc, dum eidem satisfecerit, exercendam. David verò Psalm. LXX. & fideles, per eandem Justitiam, in Christo jam exercitam, sibi ex Gratiâ imputatam, quando satisfactioni Christi, qui nobis *factus ideò est à Deo & Justitia & Sanctificatio*, I. Cor. I. 30. fide suâ innituntur, Phil. III. 9. Alterum, quod (b) sententiæ nostræ obstare videtur, desumi fortè poterit è verbis v. 6. *Redemisti me, Domine, Deus veritatis.* Quomodò, inquires, à Deo redimi poterit Christus, qui ipse alios redimere debuit, & inde Redemptor vocatur κατ' ἐξοχήν? At facilis est responsio. Redimi ipse primùm debuit Christus à morte, antequam alios redimeret. Ipse verò est Deus ille veritatis, dumque adeò divinâ redemptus est virtute, propriâ redemptus est. Quemadmodum etiam Deum sese deseruisse, Psalm. XXII. 2. conqueritur, utut ipse Deus esset, Deumque se ab inferis liberaturum confidit, Psalm. XVI. 8. seqq. & verba ejus inde repetit Petrus Actor. II. 27. utut ipse cum hoc Liberatore suo ejusdem substantiæ esset ; de quibus suo loco.

§. IV.

Accedant igitur (III) Scripturæ Sacrae *Patres* præcipui primitivæ Ecclesiae, & qui hos insecuti sunt Doctores, in illâ versatissimi. TERTULLIANVS adversus Marcio-

cionem Libr. IV. c. 42. *O quantum perseveravit (David) etiam Psalm. XXX. (in Hebr. XXXI.) Christum ipsum reddere! Vociferatur ad Patrem, ut & moriens ultimâ voce Prophetas adimpleret. Hoc dicto expiravit. (Luc. XXIII.)*
Quis? Spiritus semetipsum, an caro spiritum? Sed spiritus semetipsum expirare non potuit. - - - Quis igitur expirat spiritum nisi caro? quæ & spirat, quando illum habet, & ita eum, cum amittit, expirat. Probat igitur, veram carnem Christum habuisse, & duo loca V. & N. Testamenti ideò confert, unde constat, quem reddiderit in Psalmo Davides. CYPRIANVS in Exposit. Symb. Apostolici ad verba: Crucifixus &c. Spiritum posthæc scribitur reddidisse. Prænunciatum fuerat & hoc per Prophetam, dicentem ex personâ Filii ad Patrem: (Psalm. XXX. 6.) In manus tuas commendo spiritum meum. AMBROSIVS aliquos ex hoc Psalmo versiculos citat, & Christo tribuit L. I. Epist. II. ad Sabinum: Cum esset igitur, inquit, in formâ servi humiliatus usque ad mortem, erat tamen in Dei gloriâ. - - - Congessi enim Patris & Filii voces, ut ei non argumenta humana, sed divina responderent oracula. Alibi inquit: In manus tuas commendo spiritum meum. Et: Statuisti in loco spatiofo pedes meos. Et: Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium. Et in eodem Psalmo: Illustra faciem tuam super servum tuum. Sic & cum de formâ Christi servili agit, eam probat ex ejusdem Psalms aliquot locis, quod de eâ vaticinatus sit Psaltes, Libr. V. de Fide c. III. Disce igitur, quid sit, formam servi accepit, id est, plenitudinem obedientiæ. Ideoque dicit in Psalmo trigesimo: Statuisti in loco spatiofo pedes meos; super omnes inimicos meos factus sum opprobrium; illustra faciem tuam super servum tuum. Servus dictus est homo, in quo sanctificatus est. Servus homo, in quo un-

B

ctus

etus est. Servus homo, in quo factus sub lege, factus ex virgine est. AUGUSTINVS Enarrat. in hunc Ps. sub init. Prior loquitur ipse Mediator. Deinde redemptus sanguine ipsius populus gratias agit. Ad extremum perturbatus diu loquitur, quod ad ecstasin pertinet. Propheta verò ipsius persona bis interponitur, prope finem & in fine. Et in Conc. I. in h. Ps. ad v. 1. Loquitur ergò híc Christus in Propheta, audeo dicere, Christus loquitur. Dicturus est quedam in hoc Psalmo, que quasi Christo videntur non posse congruere, illi excellentiæ capitis nostri, maximeque illi verbo, quod in principio erat Deus apud Deum: nec ei in formâ servi fortasse videbuntur quedam híc verba congruere, quam formam servi suscepit ex virgine: & tamen Christus loquitur, quia in membris Christi Christus. Et ut noveritis, quia unus dicitur Christus Caput & Corpus suum, ipse dicit, cum de conjugio loqueretur: Erunt duo in carne unâ. --- Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesiâ. Et ad v. 6. In manus tuas: Certè cum verba ejus in Evangelio de isto Psalmo cognoscimus, ipsum híc locutum fuisse, non dubitemus. Habemus hoc in Evangelio dictum: In manus tuas commendo spiritum meum; & inclinato capite, reddidit spiritum. Non sine causâ voluit verba huius Psalmi sua esse, nisi ut te admoneret, se locutum esse in hoc Psalmo. Ipsum híc quere, cogita, quomodò in illo Psalmo se queri voluit, pro susceptione matutinâ: Foderunt &c. (Ps. XXII.) Ut te admoneret, in se hoc esse completum. In voce suâ posuit caput ipsius Psalmi: Deus, Deus meus, ut quid me dereliquisti? Et tamen vocem corporis in se transfiguravit. Non enim unicum suum Pater aliquandò dereliquit. In Conc. II. idem: Commendaveram charitati vestræ, cum primas partes hujus Psalmi exponerem, quod Christus loquatur. Et quomodò sit acci-

accipiendus Christus totus, cum capite & corpore, non tacueram. --- Gratulatio superius expressa est, ipsius dicentis, respexisti humilitatem meam, salvam fecisti de necessitatibus animam meam, nec conclusisti me in manus inimici, statuisti in spatio pedes meos. Gratulatio est liberati hominis à tribulatione, liberatorum membrorum Christi ab afflictione & insidiis. Quo pacto etiam in usus nostros vult applicandum esse hunc Psalmum, quemadmodum monuimus §. I. etiam si Christo præcipuè competat. Unde in Conc. III. sunt verba ejus: Si orat Psalmus, orate. Si gemit, gemite. Et si gratulatur, gaudete. Et si sperat, sperate. Et si timet, time. Omnia enim, quæ hic conscripta sunt, speculum nostrum sunt. Denique idem ibid. ad v. 19. Qui loquuntur adversus justum iniquitatem: Justus iste Christus est. THOMAS horum legens vestigia, in Nocturn. II. Pf. V. Agitur, inquit, hic de tribulatione Christi in Passione. Unde Christus in Cruce pendens, ait: In manus tuas &c. Luc. 23. Et de tribulationibus Ecclesie; & hoc sub figurâ eorum, quæ contigerunt David. Vel intelliguntur verba hujus Psalmi quasi ab unâ Personâ prolata. (Quæ est sententia AUGUSTINI.) Quia caput, corpus, & membra, sunt una persona. Unde Christus loquitur pro se & pro corpore suo. --- Quia Christus & Ecclesia sunt una Persona. GESNERVS in Comm. ad h. Pf. sub init. Etsi verò non negamus, hoc carmen à Davide usurpatum esse: tamen --- quia ipse filius Dei in cruce versiculum 6. pronunciat, cum ait: Pater in manus tuas commendo spiritum meum, Luc. 23. idè primò ipsum capiti nostro tribuimus, & inde omnibus fidelibus, tanquam Christi membris. CALOVIVS sub init. Quia verba v. 5. Christi esse novimus, qui eadem in Cruce usurpavit Luc. 23. Pater in manus tuas commendo spiritum meum; Psalmum totum

Christo vendicandum existimamus. Quemadmodum enim illâ exclamatione è Ps. 22. in cruce usus: Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti; precationem totam istius Psalmi suam esse docuit, & ad passionem suam spectare: ita cum ex hoc Psalmo ultimum in Cruce verbum repetit, pariter certos nos reddit, totum illum Psalmum non de alio, quàm de sese, accipiendum esse; nec est quicquam in toto Psalmo, quod non apprimè Christo conveniat.

§. V.

E scriptis Judæorum (IV) jam quod ad rem faciat, nihil aliud succurrit, quàm quod hunc Psalmum etiam *Prophetiam* appellent, ac proinde de Redemptione per Messiam præstandâ, atque de Bonis seculi Futuri agere, passim memoriæ prodant. R. David KIMCHI ad v. 21. *Abscondes eos: Est Oratio, vel Prophetia.* Scilicet, quia de re futurâ loquitur, qualis est, juxta ABENESRAM, ad v. 21. quod Deus iram suam ab illis, qui multa sustinuerint in exilio suo, per Messiam in Seculo futuro *aversurus* sit. Sic quoque non tam suo, quàm totius Ecclesie nomine loqui Davidem, innuit ad v. 19. *Contrà Justos. Loquitur de seipso, & justis cum illo. Quam reposuisti. Impii contemnunt iustos in afflictione, non considerantes seculi futuri gaudia. Quam operatus es. In hoc seculo, ante filios hominum, mirabilia pro justis operaris.* ABENESRA ad v. 20. הטוב שצפנת לראות וכבר עשית כמה טובות בגלוי לחוסי בך: *Bonum, quod reposuisti timentibus te; & quomodo præstiteris tot beneficia aperta, his qui tibi confidunt; qui est sensus verborum: coràm filiis hominum.* MIDRASCH TILLIM in h. Psalm. v. i. *Speravi in te. Sperantem Dominus salvat, licet justii mortui sint, propter peccata populi, (Es. 57, l. 2.) & reliqui ambulant in tenebris*
pec-

peccati. *Seculum autem futurum* arguunt *ibid.* sequentia. *Ne erubescam.* *Quandò apparet Redemptio illa æterna, quam non excipit alia captivitas, sed confunduntur inimici in Gebennâ.* --- *Abscondisti. Deus abscondit hunc finem Jacobo,* (Gen. 49.) & *Danieli.* (c. 12. ult.) *Ibid.* quoque in Ps. XL. i. הכ"ה עתיד לישב בתוך הצדיקים לעתיד לבא ומראין אותו באצבע שני כי זה האלהים אלהינו עולם ועד הוא ינהגנו עלמות ואין חזקן: *Futurum est, ut Deus se-deat in medio ipsorum in seculo futuro; & ipsi ostendent eum digito, sicut dictum est:* (Ps. 42, 15.) *Quoniam iste Dominus Deus noster in Seculum, & ultra; deducet nos jugiter.* (Hebr. In *Secula.*) *Hinc dicitur:* (Ps. xxxi. 25.) *Confortamini & roboretur cor vestrum, omnes sperantes in Domino.* Quò tendunt etiam verba in BERESCH. RABB. ad c. 2. v. 9. *Et fecit Dominus de terrâ germinare:* וה' רב טובך אשר צפנת ליראך וגו' בנן ערן יש בו שבעה בתים בנויים וכל בית וגו' ושכנים בן משיח בן דוד ואלהו וגו' ובתוך אפריון משיח בן דוד שהוא: *Hoc est, quod scriptum est:* (Ps. XXXI. 20.) *Quàm multum bonum tuum, quod celâsti timentibus, &c. In Horto Eden. In quo sunt septem domus ædificatæ, & una-quæque domus duodecim millia milliaria in longitudinem, & decem millia milliaria in latitudinem, &c. Habitant verò in eo Messias, filius David, & Elias, &c. Et in medio thalami Messias filius David, qui diligit filias Israël.* Ex his igitur manifestum est, quod in hoc Psalmo non solum quæsi-verint Vaticinia, ad Seculum Messiaë directâ, sed quod Davides etiam non suo tantum nomine, sed & totius Ecclesiæ, cujus Christus caput est, ceteri membra, ut AVGVSTINVS, supra §. IV. vaticinatum esse, peritiores statuerint Interpretes Judæi. Quanquam ergò eo ipso non omninò veritatem attigerint, nec Messiam quoque

in specie hęc verba facere, disertè significaverint, à scopo tamen, quem nos intendimus, non tam longè abfuerunt, ut putant, qui Sensum Literalem hujus Psalmi, vel aliorum, ad Seculum tantum Davidicum rejiciunt, aut sensum Scripturæ hoc pacto ab ipsis inflecti, arbitrantur.

§. VI.

Psalmi igitur *Scopus & Argumentum* est Verba Christi morientis Ultima, Spei plena & Fiduciæ, exhibere; ubi tres Partes apparebunt, (I) à v. 1. usque 9. quâ *Precatio*, (II) à v. 10. usque ad 14. quâ *Miseriæ Expositio*, & (III) à 15. usque ad fin. quâ *Bonitatis Divinæ Confessio*, continetur. *Titulus* est in Hebr. : למנצח מזמור לדוד *Pro Præcentore; Psalmus Davidis*. De Præcentoribus Davidis ad Pf. IIX. 2. plura. Latinus reddere solet, למנצח *in finem*. Quod Augustinus in rem suam convertit, quandò sic scribit ad init. hujus Psalmi: *In finem, quid sit, novimus, si Christum novimus. Dicit enim Apostolus: (Rom. X.) Finis enim Legis Christus, ad Justitiam omni credenti; finis non consumens, sed perficiens.* Sed hæc benè se haberent, si versio, *in finem*, rectè se haberet, quam nec Græci LXX. nec Vulgatus, qui hos sequitur, exprimunt juxtà intentionem Davidis. Pia ergo hæc saltem esto meditatio. Propius ad summam Psalmi accedit, cum prolixius idem voci ἐκτάσεως inhæret, quam LXX. adjiciunt Inscriptioni, Vulg. *Pro extasi*. Videnturque ansam sumfisse è v. 22. ἐγὼ δὲ εἶπα ἐν τῇ ἐκτάσει μου. *Ego verò dixi in excessu mentis meæ; de quo infra in Explicatione.* AUGUSTINVS verò: *Si hunc excessum mentis, id est, hanc extasim, ut nempè est illa Paulina, (II. Cor. XI.) significat titulus Psalmi hujus, magna profectò & alta quedam sperare debemus, dicturum eum, qui condidit Psalmum, id est, Prophetam,*
imò

imò verò per Prophetam Spiritum Sanctum. Si verò hæc Extasis Pavor intelligendus est, neque huic significationi deerit Psalmi contextus. Videtur enim de Passione locuturus esse, in quâ Pavor est. Nos verò potius id inde pro argumento sumimus, quod quidem hoc verbum in titulo addere videantur LXX. Interpretes, quod apud Hebræos non extat, at verò de Agonizante quâdam Personâ qualis Christus in Cruce erat, etiam juxtâ Psalm. XXII. 1. 2. totum hunc Psalmum scriptum esse, ac proinde non in fugam Davidicam quadrare, quam non notat hæc Extasis, prorsus fuerint persuasi. Nec malè omninò sic vertisse, infra ad v. 23. constabit. Oraverat Christus, antequam cum discipulis exiret in Hortum Gethsemane, verbaque hujus Orationis omnia refert Johannes c. XVII. tot. Oraverat in Horto tribus vicibus; quid oraverit, indicatur Matth. XXVI. 39. seqq. Marc. XIV. 35. Luc. XXII. 42. saltem per summam. In Cruce orâsse per vices, & vaticinia Davidica de se repetiisse & complevisse, testantur omnes Evangelistæ. Nosque è repetitione verborum è v. 6. conjicimus, totam hanc orationem eò pertinere.

§. VII.

Quantum ergò in Part. (I) *Precationem Christi* concernit, (I) *Spem suam* in Deum profitetur, fore, ut in tam arduo negotio, qualis erat Redemptio, haud unquam confundatur. Ideoque v. 2. inquit: *In te, Domine, speravi, non confundar in æternum. Nam ex iis quæ passus erat; didicerat obedientiam, & consummatus, factus erat omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ, Hebr. V. 8. 9. Et hæc etiam spem Christi produxerat catena, de qua Paulus Rom. V. 4. Tribulatio patientiam operatur, patientia autem pro-*

probationem, probatio verò spes, spes autem non confundit. Spes nempe illa, de quâ Christus: *In te, Domine, speravi.* Hebr. *והסדתי* Quam praefert statim ab initio, ut sibi (α) Patris Cœlestis benevolentiam conciliet, eoque minus sit periculi, ut ab illo deseratur, aut Redemptionem suam haud perficiat. Nam *qui dubitat, nihil impetrat*, Jac. I. 6. 7. 8. Quò gravius enim se desertum, paulò ante conquestus erat, Pf. XXII. 1. & Matth. XXVII. 46. *Eli, Eli;* eò certiori fide auxilii divini nunc nititur, ut non tam desperare videretur, cum animam expiraret, quam sperare, aliisque etiam morituris exemplum relinquere. Atque ut querelæ, sic virtutem spei ipsi convenire, dubitandum non est; præcipuè cum adhuc in Statu Ultimæ Exinanitionis in his terris versaretur. Solvit THOMAS ideò objectionem. *Spes, inquit, non habet locum in comprehensore; Christus autem fuit comprehensor. Ergò non habuit spes, nec fidem, sed visionem. Respondeo. Sperare dicitur à spe. Spes autem dicitur dupliciter. Quandoque enim dicit virtutem, quandoque verò objectum ejus, quod est unum sub duplici ratione; quia respicit Deum, ut Beatitudinem Æternam, & ut Beatitudinis Datorem. Hanc non habuit Christus, quia Objectum ejus est bonum futurum, non habitum. Tamen aliqua alia expectanda erant Christo per auxilium Dei, sicut Gloria Immortalitatis, Conversio Hominum, & hujusmodi. Et quantum ad hoc, sperabat, licet virtus Spei non fuerit ei necessaria. Alterum argumentum ad obtinendum finem, (β) est, quod provocet eod. v. 2. ad *Justitiam Dei: In justitiâ tuâ libera me.* Hæc illa Dei Justitia est, quam Paulus etiam *Iram & Judicium Dei secundum veritatem* appellat Rom. I. 18. II. 2. quæ *revelatur super omnem impietatem & injustitiam.* Legalem dicimus, vel *Severitatis*, ut GESNE-*

RVs, cujus Christus vim sensit. Unde per hanc Justitiam Dei nemo, nisi Servator, propriè liberari, aut alium quenquam liberare absque eâ potuit, Pf. XLVIII. 8. utpote cui solus ipse cum per Obedientiam suam Activam, tum Passivam, satisfecit. Matth. III. 15. *Sine modò. Sic enim decet nos implere omnem justitiam.* Quo sensu Augustinus Conc. I. ad h. l. *Quis est qui salvatur gratis? in quo non invenit Salvator, quod coronet, sed quod damnet; non invenit merita bonorum, sed invenit merita suppliciorum. Si agat tanquam veraciter, ex regulâ legis propositâ, damnandus est peccator. Hac regulâ si ageret, quem liberaret? Omnes enim peccatores invenit. Hoc ait Apostolus: (Rom. III.) Omnes enim peccaverunt, & egent gloriâ Dei. Quid est: Egent gloriâ Dei? ut ipse liberet, non tu. Quia tu te liberare non potes, indiges liberatore.* Cum ergò ad conservandam augendamque hanc Justitiam Dei tot adversa subiisset Christus, & jam parùm adhuc superesset, quin eidem à se satisfactum esset, eò lætiori animo eam repetere, Deoque Patri ob oculos quasi ponere poterat, finemque Cruciatuum expectare. Eandem verò etiam nos illustriorem reddere, & per eandem, Servatorem nostrum sequentes, liberari possumus, si Gratiâ Dei temperatur, & inde Evangelica audit. Hæc est, quæ *revelatur ex fide in fidem, sicut scriptum est: Justus autem ex fide vivit, Rom. I. 17.* Hinc nostra non est, sed Christi, adeoque aliena, fit autem nostra per imputationem. De hac Paulus Phil. III. 8. *Inveniar in illo, non habens meam justitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est Christi Jesu: quæ ex Deo est, justitia in fide.* Ideoque hoc sensu expeti potest à Deo ab omnibus fidelibus, ut vidimus supra, §. III.

§. VIII.

Preces ipsæ sunt (a) pro *Liberatione*. *Libera me*, inquit Servator. Nam liberari ipse vult è faucibus Inferni, & reliquis sive Animæ sive Corporis Cruciatibus, ut eò certiores sint homines redimendi, id omne in sui gratiam factum esse, seque unà cum Servatore suo esse redemptos. Idem erat, quod à Patre cœlesti petebat Joh. XVII. I. *Pater, venit hora, clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te*. Poterat seipsum liberare, sed Deo honorem dat, eumque solum ideò adorat, juxta monitum suum Matth. IV. 9. Ut constet etiam rei gravitas. Cum verò se liberari cupit, fideles quoque includit, ut Joh. XVII. II. *Serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi*. Et v. 19. *Pro eis ego sanctifico meipsum: ut sint & ipsi sanctificati in veritate*. Extenduntur autem Preces (b) etiam ad *Benevolentiam Dei*, dum Christus petit ejusdem tanquam amici, in exauditione suâ, ad se accessionem, v. 3. *Inclina ad me aurem tuam*. THOM. *Auris Dei est voluntas exaudiendi, & dicitur Deus nobis appropinquare, quando condescendit nostris infirmitatibus & miseriis*. Exponit hoc Johannes, c. XVII. 4. ubi post novas promissiones de Exauditione divinâ, discipulis datas, ipse sublevatis oculis in cœlum dixit: *Opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam. Et nunc clarifica me, tu, Pater, apud teipsum*. Quæ longa illa erat ante egressum Christi in hortum Gethsemane, & devotissima precatio, unde exemplar eorum petere licebit, quæ protulit in Cruce. Porro (c) ad *Festinationem* pro Auxilio, v. eod. *Accelera, ut eruas me*. Differre videbatur Deus auxilium suum. Adeò ut desertum se Christus jam queri inciperet. Ideoque eò magis opus erat festinatione. Scilicet ne in incredulitate perseverarent inimici sui, vel dicerent Matth. XXVII. 43. *Confidit Deo, liberet nunc,*

nunc, si vult eum. Aut cum Epicureis Job. XXII. 14. *Quia cardines cæli perambulat, nec nostra considerat.* GESNERUS: *Quantò magis augentur animi corporisque cruciatus, tantò celerius me adjuva.* Periculum igitur solum exponit, non horam præscribit. Denique etiam (d) ad *Protectionem* v. 3. *Esto mihi in Deum protectorem; & in Domum refugii, ut salvum me facias.* Hoc illud; *Esto mihi;* est, quod omnes Deo confitentes à Christo mutuò sumere possunt, & cum Ecclesiâ recitare. Hebr. *In rupem fortem.* Ita Prov. XIV. 26. *In timore Domini fiducia fortitudinis, & filiis ejus erit spes.* Nos filii item Dei sumus per Adoptionem, ut Christus per Generationem. Quæritur verò, cum Christus noluerit hanc protectionem Matth. XXVI. 53. *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim Legiones Angelorum?* quomodo hîc roget? *Esto mihi in Deum protectorem.* At respondetur, protectionem divinam ad multa extendi. Talis per Angelos, aut Milites, certè hoc loco nec sufficiebat, nec requirebatur. Sed quæ ex infinitâ Dei sapientiâ & potentiâ profluebat, nostramque mentem longè excedebat, cum & multitudo hostium longè major, quàm Judæorum illorum aut Militum, Gentilium, & magnitudo perniciæ longè gravioris, quàm solius Mortis, jam Securitatem Servatoris requirerent.

§. IX.

Extensionis hujus Causa (i) sumitur à *Potestate & Majestate Dei* v. 4. *Quoniam fortitudo mea & refugium meum es tu; & propter nomen tuum, deduces me & enutries me.* Nempè Potestatem ideò cum Arce munitâ comparat, Majestatem per Nomen Dei effert. Quæ duo conjungit

ideò Salomon Prov. XVIII. 10. *Turris fortissima Nomen Domini. Ad ipsum currit justus, & exaltabitur.* Jobus quoque addit Sapientiam inexpugnabilem c. XII, 13. 14. *Apud ipsum est fortitudo & sapientia, ipse habet consilium & intelligentiam. Si destruxerit, nemo est, qui edificet, si incluserit hominem, nemo est, qui aperiat.* Duci ergò his duobus vult Christus, ut in Pf. XXIII. 4. per *Vallem Mortis, & enutiri, i.e. perferri.* Educi verò v. 5. *Educes me de laqueo hoc, quem absconderunt mihi.* Nempè hi illi Laquei sunt, de quibus David Pf. XVII. 6. *Dolores inferni circumdederunt me, preoccupaverunt me laquei mortis.* Et Paulus II. Tim. II. 26. *Respiscant à Diaboli laqueis, à quo captivi tenentur, ad ipsius voluntatem.* Notabile exemplum habemus Matth. IV. 1. sqq. ubi hos laqueos etiam Christo retendit. Causa quoque (2) est, quod summâ animi Submissione ac Tranquillitate ideò tandem *Spiritum suum Deo Patri commendet, v. 6. Fideique suæ & simul totius Psalmi supremum præstet argumentum; testante sic diserte historiâ Christi, Luc. XXIII. 40. ut supra §. II. vidimus.* Jam enim Morti & Inferno proximus erat, nec quicquam, nisi Virtus Divina hîc sufficiebat. Hinc verba Christi: *Pater, in manus tuas commendo Spiritum meum.* Patrem primùm appellat, quem David in Psalmo omiserat. Nempè ut ostenderet, pro more suo, v. gr. Joh. XVII. & alibi, ubi semper hac appellatione utitur, cujus ipse Filius esset, & ad quem sermonem dirigeret, qui clarâ voce prolatus, jam satis brevis erat. Spiritumque etiam nominat, ut solent morituri nobiliorum maximè curam gerere. THOMAS: *Qui timet in viâ, quod carius habet, commendat ductori. Et ideò in viâ istâ periculosâ Spiritum meum commendo tibi Deo. Hoc fecit Christus in nostrum exemplum.* Non autem quod
Cor-

Corpus suum neglexerit, aut pro *Cadavere* habuerit; secus ut BEZA, contra quem D. MAYER. Disp. de Septem Verbis Christi Morientis, ad Verb. VII. *Commendo*; Hebr. תָּפַנְנִי Græc. *παράδοσμαι*. Deponam. GROTIUS ad Luc. XXXIII. 46. *Probo hanc lectionem eò magis, quia apud LXX. in Psalmo simili modo legitur, sed est more Hebræorum Futurum pro Præsenti.* Addimus, non sine causâ. Nam Spem Futurorum unâ declarat. Subtilior verò videri vult GROTIUS, quando potius verba Lucæ, quàm Davidis, Christo competere scribit: *Ceterum, inquit, & hic observandum est, quòd exactius ea verba Christo, quàm Davidi congruant.* Apud Davidem חַיָּה est *Vita*: apud Christum ipsa mens hominis, quam Hebræi propriè eo nomine appellant. Deinde deponere ejus est propriè, qui dominium rei habet. Scilicet ut Christus Joh. X. 18. Benè observat, verba Christo exactius, quàm Davidi competere, sed frustrâ in Verbis Psalmi, & in his, quæ inde à Christo citantur, discrimen quærit. Ut & frustrâ quæsieris rationem, cur hæc potius Græcè, vel Syriacè, non autem Hebraicè, ut illa è Ps. XXII. 1. pronunciare voluerit. Sæpius ita fecit. Fidei verò tantæ Rationem annectit statim: *Redemisti me, Domine, Deus veritatis.* Ad quæ KIMCHI, quod in Præterito propter Certitudinem, quasi jam factum esset, verbum hoc efferatur: *Redemisti.* Tribuiturque eadem admiranda sua Redemptio soli vero Deo, quem & ipse cognovit Servator, & ab aliis cognosci voluit hoc pacto, ad impetrandam *Vitam Aeternam*, Joh. XVII. 3. Hic ille, qui de se ipse Ef. XLIII. 11. *Ego sum, ego sum Dominus, & non est absque me Salvator.* Hic fidelis ille, in quo non fuit EST & NON, sed EST in illo fuit, II. Cor. I. 19. Adde Ps. XVI. 10. & ex hoc Act. II. 27. Et ad Fidei confirmationem (3) *Causa est, Odi-*



um Vanitatum, v. 7. *Odisti observantes vanitates supervacuè.* In Hebr. est: *Odi, qui custodiunt vanitates mendacii.* Utpote unde nullum sperari potest adjumentum. Nempè ut Pf. XXIV. 4. *Confundantur omnes, iniqua agentes supervacuè.* Aut potius secundum Hebr. ut Jon. II. 9. *Qui custodiunt vanitates frustra, (הבלי שוא) misericordiam derelinquunt.* Ego autem in voce laudis immolabo tibi. Quibus sibi invicem opponuntur Cultus Dei Falsus, & Verus. Mundum appellat Christus Joh. XVII. 25. *Mundus te non cognovit, ego autem te cognovi, & hi cognoverunt, quia tu me misisti.* Scilicet ut paulò ante v. 3. *Hec est vita eterna, ut cognoscant te, solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.* Igitur exemplo suo iterum exponit (4) *Fidem* in contrarium, in solo Deo positam, cum *Gaudio* pro Exauditione, Commiseratione, Liberatione, & Securitate, conjunctam, v. 8. 9. *Ego autem in Domino speravi, exultabo & letabor in misericordiâ tuâ. Quoniam respexisti humilitatem meam, salvasti de necessitatibus animam meam. Nec conclusisti me in manibus inimici: statuisti in loco spatioso pedes meos.* Eadem Catastrophe Pf. XXII. 22. *Et LIII. 8.* & alibi, cum de Passione Christi dicitur. *Omnia enim Deus cooperatur in bonum, Rom. VIII. 28.* Spem & Fiduciam tantam præ se fert Salvator, ut ter Confessionem suam ideò repetat, nempè v. 2. 8. 15. *In te, Domine, speravi. Ego autem in Domino speravi. Ego autem in te speravi, Domine.* Non sunt verba hæc gloriantis, aut jactabundi, sed confitentis, fideique suæ certitudine lætantis. Ut Paulus Rom. VIII. 38. sqq. *Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profunditas, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu, Do-*
mi-

mino nostro. Et II. Tim. I. 12. *Scio, cui credidi, & certus sum, quia potens est, depositum meum servare in illum diem.* Fidem igitur hanc (5) sequitur Gaudium in Auxilio Divino positum. AVGVSTINVS Gratulationem appellat Conc. II. Hæc enim Fidei natura est. Gaudet in summis angustiis, sibi que ipsi gratulatur. Ut Paulus II. Cor. VI. 9. 10. *Quasi morientes, & ecce vivimus. Ut castigati, & non mortificati. Quasi tristes, semper autem gaudentes. Sicut egentes, multos autem locupletantes.* Et Rom. V. 3. *Non solum autem, sed & gloriemur in tribulationibus.* Ideoque etiam Christus in Precibus suis, mortem jamjam aggressurus, Joh. XVII. 13. *Nunc autem ad te venio, & hæc loquor in mundo, ut habeant Gaudium meum impletum in semetipsis.* Antea Liberationem suam petierat propter Justitiam Dei; nunc impetratam vel certissime impetrandam per Misericordiam Dei, extollit. Ostenditque, utramque in opere Redemptionis concurrere. Hæc illa duo sunt, de quibus David Psalm. C. I. *Misericordiam & judicium cantabo tibi, Domine;* & Paulus Rom. V. 16. *Judicium quidem ex uno, in condemnationem: gratia autem ex multis delictis, in justificationem.* Per hanc igitur Misericordiam Gradus Liberationis suæ auctos, tanquam Lætitiæ suæ rationem simul exponit ac prædicat. *Respexisti afflictionem meam.* Vulgatus: *Humilitatem meam.* Hoc est, in summo hoc Exinanitionis meæ fastigio, ubi maxime opus erat, me audivisti. Imò nec audivisti tantum, sed & *Necessitates animæ meæ agnovisti.* Hebr. *ידעת בצרות נפש* *Mentem applicasti in illas.* Qui autem agnoscit, ille facilis est, ad juvandum. Vnde Vulgatus: *Salvastisti.* Sed sequitur adhuc Liberatio: *Nec conclusisti me in manus inimici.* Simile est, defunctum ab aliquo, qui recusat hosti tradere amicum in capti-



captivitatem. *Hostis* ille κατ' ἐξοχὴν ipse Dæmon est, Matth. XIII. 28. *Manus* hujus, seu potestas, ipse Carcer Infernalis, I. Petr. III. 19. Matth. V. 25. cujus vim sensit Servator, antequam eò descenderet, & cum in eo delitelceret. Sed ibidem tamen conclusus non est, Psalm. XVI. 10. siquidem eum devicit I. Cor. XV. 55. & post quoque resurrexit. Unde David addit *Securitatem*: *Statuisti in loco spatiofo pedes meos.* Ut Psalm. XVII. 20. *Eduxit me in latitudinem. Salvum me fecit.* Nempe ubi nullo vinculo, nullo impedimento subsequente vel adhærente quis retineri potest. Rom. VIII. 1. *Nihil ergò damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant. Lex enim spiritus vitæ, in Christo Jesu, liberavit me à lege peccati & mortis.*

§. X.

Nec tamen interim omittit Servator Part. (II) exponere *Miseriæ suæ magnitudinem*, à v. 10. usque ad v. 14. Ut eò illustrius sit Meritum suum, eoque major sit Gloria Redemptionis, Spes certior in se credentium, Dilectio ardentior, & arctior ad benè agendum Obligatio. Hinc (α) rursùm, tanquam ab *Alloquio Generali* incipit v. 10. *Miserere mei, Domine, quoniam tribulor.* Vox hæc maximè afflictorum, sæpius in Psalmis, præcipuè Poenentialibus, occurrens; v. gr. Psalm. VI. 3. LI. 3. Ut nempè remittantur peccata, & pœna avertatur. Christus igitur cum omnium Peccata ac Pœnas in se suscepisset, & hisce adeò premeretur, ut Sceleratissimi instar Peccatoris coràm Deo appareret, aliter quoque orare non poterat. Vid. infra v. 11. Inde (β) recenset sua Mala, & de Personâ suâ v. 10. 11. *Conturbatus est, inquit, in irâ oculus meus, anima mea, & venter*

ter meus. Quoniam defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus. Infirmata est in paupertate virtus mea, & ossa mea conturbata sunt. Per Oculum 1. intelligit Sensus ac Speciem Externam, ut David Psalm. VI. 8. Turbatus est à furore oculus meus, inveteravi inter omnes inimicos meos; per Ventrem 2. Vim nutrientem, ut Paulus I. Cor. VI. 13. Esca ventri, & venter escis. Deus autem & hunc & has destruet; per Animam 3. Intelligentiam suam, ut ipse Matth. XXVI. 38. Tristis est Anima mea usque ad mortem. Unde Voluntatis etiam Debilitas v. 39. 41. Transeat à me calix iste. Veruntamen non sicut ego volo. --- Caro autem infirma. Inde 4. Fructus hujus v. 11. Vita Brevitas & Molestia. Quoniam defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus. Poterat quidem de his conqueri Jacobus Gen. XLVII. 9. Dies peregrinationis meae centum triginta annorum, parvi & mali. At multò magis Christus, cujus anni vix triginta excefferunt, & præterea in gemitibus finiti, ut constat è totâ serie Passionis, & 5. in summâ Paupertate exacti. Infirmata est in paupertate virtus mea. וְכַבֵּד. Quod si per Paupertatem reddas, quadrat hîc ipsius Christi effatum Luc. IX. 58. Filius hominis non habet, ubi reclinet caput suum. Et Paulus II. Cor. VIII. 9. Propter vos egenus factus est, cum esset dives; quæ divitiæ sunt ipsa ejus Virtus, quam nominat. Si verò hoc loco efferas: Propter Peccatum meum; prout & voci, & querelæ Christi v. 10. convenientius est, ita quoque loquitur de eo Esaias c. LIII. 5. 6. Attritus est propter scelera nostra. --- Et posuit dominus in eo iniquitatem omnium nostram. Et Paulus II. Cor. V. 21. Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia, in ipso. Hinc & 6. Ossium Ariditas, ut hominis ferè emortui; וְכַבֵּד, contabuerunt. Ut David Ps.

VI. 3. *Conturbata sunt ossa mea.* נבחרו *Perterrefacta sunt.*
 Et ipse Psalm. XXII. 15. *Dispersa sunt ossa mea.* התפררו *Di-*
visa sunt. Unde constat Sensus Cruciatuum intus &
 usque ad medullam penetrans.

§. XI.

Huic infirmitati multum omninò accessit (γ) ab In-
 juriis ipsorum Hominum, pro quibus tot mala sustinuit
 Christus, v. 12. 13. *Super omnes inimicos meos factus sum op-*
probrium, & vicinis meis valdè, & timor notis meis. Qui
videbant, foràs fugerunt à me: oblivioni datus sum, tan-
quam mortuus à corde. Factus sum tanquam vas perditum:
quoniam audivi vituperationem multorum, commorantium in
circuitu. In eo, dum convenirent simul adversum me, ac-
cipere animam meam, consiliati sunt. Est ergo (a) *Oppro-*
brium Inimicorum pariter atque *Vicinorum*, v. gr. cum *ma-*
ledixerunt cæco, quod discipulus Christi esset, Joh. IX. 22. 28.
 Maximè verò, cum de eo dicitur Scriptura impleta Marc.
 XV. 28. *Et cum iniquis reputatus est.* Exempla plura sug-
 gerit Historia Evangelistarum, gestibus, verbis, factisque
 partim à Judæis, partim à Gentilibus exhibita; inter quos
 etiam Latrones, quibus antea ne quidem videtur notus
 fuisse Christus, Matth. XXVII. 44. Luc. XXIII. 39. &
 Christo Vicini, ibid. v. 41. Hinc (b) *Timor, Fuga, & Oblivio*
Amicorum. *Timor Discipulorum* inde duravit adhuc post
 Resurrectionem Christi Joh. XX. 19. *Fuga* in signe exem-
 plum est Matth. XXVI. 56. & Marc. XIV. 50. sqq.
Tunc discipuli ejus relinquentes eum, omnes fugerunt.
Adolescens autem quidam sequebatur eum, amictus sindone
super nudo. Et tenuerunt eum. At ille rejectâ sindone, nu-
ds profugit ab eo. In Hebræo notatur circumstantia
 singu-

singularis. Dicitur enim : ראי בחוץ נדרו ממני *Videntes me foris, fugiunt à me.* Foris enim adstiterunt discipuli. Matth. XXVI. 58. *Petrus autem sequebatur eum à longè, usque in atrium.* Et v. 69. *Petrus verò sedebat foris in atrio.* Denique v. 75. *Egressus foràs.* Et Joh. XVIII. 16. *Stabat ad ostium foris.* Neque hoc sufficiebat, sed & (c) quasi de Mortuo vel Ignoto homine *Oblivionem* in corde simulavit Petrus Marc. XIV. 71. *cum cepit anathematizare, & jurare: Quia nescio hominem, quem dicitis.* Subieratque eadem oblivio discipulos reliquos, cum in eosdem inveheretur Christus Luc. XXIV. 25. 44. *O! stulti & tardi corde, ad credendum. --- Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum.* Adeò memoria rerum gestarum eas fallebat. Quod & de præteritis & de futuris prævidit Servator, ingemuitque ideò, cum jamjam extremum diem obiturus esset. Utque (d) *Mortuos* pariter ac *Vasa perdita* tam propter vilitatem, quàm impuritatem averfari, jussi erant Judæi Lev. XI. 35. ita sibi accidisse commemorat: *Factus sum tanquam vas perditum.* Quin (e) supra detestationem etiam *Vituperationem* addit: *Audivi vituperationem multorum, commorantium in circuitu.* Hebr. מור רבת *Vituperationem formidinis*, i. e. è simulatâ ergà Deum, aut propter Deum, formidine proveniente. Qualis illa Matth. XIV. 29. *Vah! qui destruis templum Dei.* Joh. XIX. 30. *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissimus eum.* Denique de *Consilio Sanguinis*, (f) manifesta sunt verba Matth. XXVII. 1. *Manè autem factò, consilium inierunt omnes principes sacerdotum, & seniores populi adversus Jesum, ut eum morti traderent.* Quis verò hæc unquam de Davide somniavit, aut tam apertè memoriæ prodidit?

§. XII.

Denique addit Part. (III) & ultimâ, à v. 15. usque ad v. 25. *Bonitatis Divinae Confessionem*. Cum enim Querelæ Servatoris semper in Laudes exeant, ut etiam vidimus ad Pf. XXII. hîc vel maximè similis est ratio, quoniam per totum Psalmum Fidem, tanquam cygneâ cantione exponit. Ideoque cum secundùm *AVGVSTINVM* ad hunc Pf. omnia, *quæ hîc conscripta sunt, speculum nostrum* sint, tantam hanc Bonitatem esse, innuit, ut facile suam, omniumque nostrûm Fidem in se attrahat. Quare (1) proficitur *Fiduciam* v. 15. 16. *Ego autem in te speravi, Domine: dixi: Deus meus es tu: in manibus tuis sortes meæ*. Nempe id jam tertio fit in hoc Psalmo. Sic trinum illud perfectum est. *Ego* autem; utpote quem tanto contemptu, & tot ludibriis profecuti sunt illi, tuque ab æterno potius generâsti atque dilexisti. *Ego*, qui & aliis hoc pacto sum instar Luminis. *Ego autem in te speravi, Domine*. Spem hoc modo vel *Fiduciam* suam, (nam utramque hoc loco Bonitas Dei admittit,) *α*. præmittit in genere, & prout est in *Corde* v. 10. *Ego autem in te speravi, Domine. Corde enim creditur ad justitiam*, Rom. X. 10. Dominumque appellat, qui *Cæli Terræque Dominus* est, Act. XVII. 24. Videlicet in statu Exinanitionis, utut in statu Exaltationis consideratus, ipse *Dominus esset*, hoc nomine præcipuè salutandus, Rom. X. 9. I. Cor. VIII. 6. Dixeris: Num ergo, qui ipse verus Deus est, in se sperare credereque potuit? Respondemus, qui per seipsum jurare, Ef. XLV. 23. quique à seipso pluere potuit sulphur & ignem de cælo, super Sodomam & Gomorrham, Gen. XIX. 24. sqq. idem quoque in se sperare potuit. Hinc verò etiam sequitur *β*. eadem *Fiducia*, prout sese exerit per *Confessionem*
Oris

Oris, eod. v. *Dixi: Deus meus es tu: in manibus tuis sortes meae.* Ita fit ore confessio ad salutem, Rom. X. 10. Hoc enim: *Dixi:* Significationem luculentiorum involvit. Toties enim sic dixerat Christus, cum in his terris viveret; v. gr. Luc. X. 21. 22, Matth. XI. 25. Dixerat adhuc in Horto Luc. XXII. 42. *Fiat voluntas tua.* Dixitque etiam ultimò, cum Deo Patri in Cruce se suasque res commendavit, de quo paulò ante ad v. 6. jam verò se dixisse repetit, etiamsi nemo hominum ab eo totidem verbis porrò audiverit. Quæ enim cogitavit, in Vaticiniis his, & similibus, Spiritus Sanctus indicavit. Est verò hæc explicatio eorum, quæ dixerat v. 6. *Redemisti me, Domine, Deus veritatis:* hîc: *Deus meus es tu.* Suprà v. 6. *In manus tuas commendo spiritum meum;* hîc: *In manibus tuis sortes meae.* Nec enim Spiritum tantum suum, sed & Corpus, imò totum Redemptionis Negotium Deo commiserat. Hoc ergò nunc includit, cum Sortes suas nominat. Hebr. *עוֹתֵי* *Tempora mea.* RASCHI videtur intelligere Tristiora: *עוֹתֵי הַיָּמִים הַעֹבְרִים עָלַי עַל פִּי הָאֵל וּבְגוֹרֹתַי:* *Tempora adversa, quæ mihi eveniunt, juxta decretum & consilia tua sunt.* ABENESRA autem Latiora: *עַתַּת יְשׁוּעָתִי בְּרַךְ לְבָרַךְ הוּא:* *Tempus Salutis meæ in manu tuâ tantum est.* VULGATUS ergò pro utrisque invicem conjunctis sumit, cum vertit: *Sortes.* Ut & LXX. *οἱ κληροί μὲ.* Quemadmodum etiam Paulus *Dies* accipit pro iis, quæ in diebus accidunt Eph. V. 17. *Dies mali sunt.* Christus verò ipse indicat per *Horam*, Joh. XVII. 1. *Pater, venit hora.* Et Matth. XXVI. 45. *Ecce appropinquavit hora, & Filius Dei tradetur in manus peccatorum.* Marc. XIV. 35. 41. *Sufficit; venit hora.* Luc. XXII. 53. *Hec est hora vestra, & potestas tenebrarum.* Unde potius Intervallum Passionis intelligendum hoc loco maxi-

mè esse, dicimus. Act. II. 23. *Hunc definito consilio, & præscientiâ Dei traditum, per manus iniquorum affligentes, interemistis.*

§. XIII.

Porro ad hanc Confessionem (2) pertinent *Preces* Christi, utpote in quibus etiam latet pars Confessionis nostræ, si ad Deum recto ordine tendunt. Indicant enim Honorem Supremum, æquè ut Fides, Deut. VI. 13. Verba igitur sunt v. 16. 17. 18. 19. *Eripe me de manu inimicorum meorum, & à persequentibus me. Illustra faciem tuam super servum tuum, salvum me fac in misericordiâ tuâ: Domine, non confundar, quoniam invocavi te. Erubescant impii, & deducantur in infernum: muta fiant labia dolosa. Quæ loquuntur adversus justum iniquitatem, in superbia & in abusione.* Duo sunt, quæ his rogat, sibi que mutuò opponit, *Recuperationem Honoris* sui in his terris & *Abolitionem Impiorum*. Et quidem (α) ad *Recuperationem Honoris*, vel *Restitutionem*, pertinent (a) *Redemptio* v. 16. *Eripe me de manu inimicorum meorum, & à persequentibus me.* De hac *Liberatione* suprâ, ad v. 2. ubi idem petierat *Servator*; nisi quod hoc loco adjiciat *Inimicos & Persequentes*. Per illos, quicquid Deo adversum est, sub quo etiam *Peccati Turpitude & Poenarum moles*, justitiæ divinæ æqua, intelligitur. Illam Paulus *Mortis Stimulum*, hanc peccati *Virtutem* appellat ac *Legem*, I. Cor. XV. 57. *Stimulus autem mortis peccatum est, virtus verò peccati lex.* Persequentes verò homines sunt, præcipuè *Judæi*, de quibus, cum vix docere incepisset, doctrinamque comprobare *Miraculis* Christus, Joh. V. 16. *Propterea persequerentur Judæi Jesum, quia hæc faciebat in Sabbatho.* Unde ipse ad discipulos suos, c. XV. 20. *Non servus major*
Do-

Domino suo. Si me persecuti sunt, & vos persequentur. Porro quoque huc spectat (b) *Honor Novus* v. 17. *Illustra faciem tuam super servum tuum.* Phrasin hinc adhibet, quæ sæpius adhibetur, v. gr. in Benedictione Sacerdotali Publicâ, Num. VI. 25. *Ostendat Dominus faciem suam tibi, & misereatur tibi.* Item in Precibus Psalm. LXVI. 2. *Illuminet vultum suum super nos.* Et Ps. CXVIII. 135. *Faciam tuam illumina super servum tuum.* Desumpta à Lumine, quo res aliqua illustratur, vel à Sole, radios suos super hæc inferiora expandente. Vbi Facies Dei est ipsa ejus Gratia, & Splendor Majestatis. Cujus exemplum in Imagine, & tanquam in specimine saltem vel Prodromo Exaltationis Christi, habemus Matth. XVII. 2. seqq. ubi, cum transfiguraretur, *resplenduit facies ejus, sicut sol, vestimenta autem ejus facta sunt alba, sicut nix. Et nubes lucida obumbravit ipsum ac discipulos. Et ecce, vox de nube dicens: Hic est filius meus dilectus.* Ultimumque illud, quo à sextâ usque ad nonam horam factæ sunt tenebræ, super universam terram, Matth. XXVII. 45. Christumque Justitiæ Solem brevi è Sepulcro suo, tanquam è Caligine, quam per tempus aliquod sustinuerat, proditurum fore, quin Solem ipsum præ hoc Sole Christo lucem suam recondere, indicabant. Benè hinc ABEN ESRA: כי הורה במצוק כירשכ בחשך. *Quia si quis in angustiis constitutus est, sedet quasi in tenebris.* Ita vult ergò per Mortem suam à Patre clarificari Christus, ut ipse expressè rogat Joh. XVII. 1. *Clarifica filium tuum.* Item v. 5. *Et nunc clarifica me;* speratque c. XVI. 14. *Ille me clarificabit;* & confidit jam Joh. XIII. 31. seq. *Nunc clarificatus est filius hominis, & Deus clarificatus est in eo. Si Deus clarificatus est in eo, & Deus clarificabit eum in semetipso: & continuo clarificabit eum.* Atque

que declarari manifestò, quod ipse sit *Splendor Gloriæ* Divinæ Hebr. I. 3. *in cuius nomine omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloriâ est Dei Patris; nempè etiam propter Exinanitionem, quod antea se exinanivisset, formam servi accipiens, Phil. II. 10. 11. Denique ad hanc Redemtionem spectat (c) Salus & Victoria v. 18. Salvum me fac in misericordiâ tuâ: Domine, non confundar. Videlicet hæc est Salus illa, quam Christus sibi ipsi, cum jam ab æterno ut Filius Dei habuisset, etiam in tempore, ut Servator generis Humani, & in specie pro humanâ suâ Naturâ simul acquisivit, & aliis promeritus est, Joh. XIV. 2. Gloriam Æternam aliâs vocamus, de quâ I. Tim. III. 16. *Assumptum in Gloriâ.* Hic Triumphus ille, quem cœlites post Victoriâ ipsius cecinerunt Apoc. XII. 10. *Nunc facta est Salus, & Virtus, & Regnum Dei nostri, & potestas Christi ejus.* Et c. VII. 10. *Salus Deus nostro, qui sedet supra thronum, & Agno.* Qui enim vincit, non succumbit. Qui non succumbit, nec erubescit, nec confunditur. Ita demùm Salus perfecta est. Causam verò Salutis hujus assignat *Misericordiam* seu *Gratiam* Dei. Nempè illa est, de quâ lætatur supra v. 8. Illa est, propter quam vult illuminari; imò reverà illuminatus fuit Joh. I. 14. *Vidimus gloriam ejus, plenam gratiâ & veritate.* Illa est, quæ delicto *superabundavit, ut sicut regnavit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per justitiam, in vitam æternam, per Jesum Christum Dominum nostrum, Rom. V. 20. 21.* Rationem addit eod. v. *Quoniam invocavi te.* Quid hoc est? Num Christus etiam precibus necesse habuit, quicquam à Patre impetrare? Imo respice in Hortum Gethsemane, ubi rogavit, & non impetravit, quod cupiit. Respice ad Cohortes, ipsum pre-*

prehendentes, ubi rogare noluit, quod impetrare potuit, Matth. XXVI. 53. Respice denique in Crucem; ubi & ex parte impetrat, quod rogat: *Pater, dimitte illis*; Luc. XXII. 34. & jam quoque totum, ultimo loco: *In manus tuas commendo spiritum meum. Nam omnis, qui petit, accipit: & qui querit, invenit; & pulsanti aperietur*, Luc. XI. 10. *Et erit: omnis, quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit*, Joel. II. 32. Christus ita Mediator. Unus ille, qui & pro se, & pro aliis Patrem rogare potuit, imò rogavit, novo Novi Testamenti exemplo, & exauditus est. Joh. XIV. 16. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis*. Et ne quis tantum rogare, nec dare quoque posse, arbitretur, ibidem ipse inquit, v. 13. 14. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio. Si quid petieritis me, in nomine meo, hoc faciam*.

§. XIII.

Alterum verò, quod his Precibus desiderat Christus, est (β) *Abolitio Impiorum*, v. 18. 19. In quâ (a) primus Gradus est *Pudor*. Versu præc. dixerat: *Non erubescam*. Jam verò v. 18. *Erubescant Impii*. O! si Pudorem hunc suum ad mutationem animi impenderent, ut illi Actor. II. 7. 37. At non in Honorem & Conservationem, sed plerumque in Ignominiam convertunt. Unde hoc loco Ignominia maximè intelligitur, Impietatis Præmium. *Tradidit illos Deus*, inquit Paulus Rom. I. 26. *in passiones ignominia*. Et hoc eò magis, cum viderint Christum in Gloriâ, & fata Piorum longè feliciora, quam putaverant. *Et effundam*, inquit Deus, *Spiritum Gratia & Precum super habitatores Jerusalem, & adspicient ad me, quem confixerunt & plangent cum planctu*, Zach. XII. 10. Joh. XIX. 37. Pudorem

E

autem

autem hunc sequitur (b) *Anxietas*, seu Descensus ad Infernum v.17. *Et deducantur in infernum.* Hebr. ידמו לשאר. *Cessent, usque ad Infernum.* Cessent, quicquam porrò suscipere in contrarium. Ad hæc GESNERVS: *Per Scheol intelligit Mortem. Neque enim eternam damnationem hostibus suis imprecatur, pro quibus ipse Christus in Cruce oravit. Sed hoc petit, ut malitia & fastus illorum justâ vindictâ & temporali exitio coërceatur. Quod si verò non egerint Pœnitentiam, dubium non est, quin prorsus damnentur. Ideò etiam hanc ipsam petitionem repetit, magisque illustrat. Sic & alii. Nos aut per Abstinenciam vertimus à peccatis, propter Metum vel Sensum aliquem Inferni. Ita petit Servator, ut in tempore animo descendant ad Infernum, ne deinceps eò projiciantur toti; & cessent hinc impietati inhærere. In hoc descensu ipsos etiam vult cruciari, & gustare tantum è longinquo, quæ ipsis immineant. Prodit hunc sensum Præfixum ל, cum aliàs, si Christus Pœnas Infernales impiis apprecatus fuisset, כ præfigi debuisset: *Sileant in Inferno.* Aut verò, ut vox ידמו *Cessent, Sileant*, non sit vox precantis, sed asseverantis, aut approbantis, respiciatq; Christus ad Spiritus illos, de quibus I. Petr. III. 20. *In quo & his, qui in carcere erant, spiritibus, veniens prædicavit; qui increduli fuerant aliquandò, quandò expectabant Dei patientiam in diebus Noë.* Hos enim in Inferno fuisse, dubium non est, cum in carcere fuisse dicantur. Cessare ergò cum his, *Diabolisque, vinculis æternis ligatis*, item cum *Sodomâ & Gomorrhâ, ignis æterni pœnam sustinentibus*, Jud. v. 6. 7. vult alios impios, ne quid porrò contra Christum tentent, aut pios, ipso Actu. Ita Es. xxvi. 15. *Denique (c) nec Verbis. Unde est Silentium v. 19. Muta fiant labia dolosa. Quæ loquuntur adversus justum iniquitatem, in super-**

perbiâ & in abusione. Nunc demùm liquidò apparet, quor-
 sum potissimùm animum direxerit. Labia Dolosa vel
 Mendacia vocat, quæ sic vocaverat Joh. VIII. 44. *Vos ex
 Patre Diabolo estis: & desideria patris vestri vultis facere.
 Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit. Quia
 non est veritas in eo; cùm loquitur mendacium, ex propriis
 loquitur, quia mendax est, & pater ejus.* Quin pergit, &
 describit Pharisæos & Principes Judæorum, sive eodem
 tempore dira quævis & insolita Christo imprecantes, qua-
 le erat, quod Diabolum haberet, Joh. VIII. 48. sive post
 quoque blasphemiæ eundem accusantes, & latronibus pe-
 jorem judicantes. קרע enim *Durum*, vel *Sublimius*, & pla-
 nè *Alienum*, notat, was sehr hoch und schwer zu beweisen.
 Ut Psalm. XIV. 6. *Nolite extollere in altum cornu vestrum;
 nolite loqui adversus Deum sublimiora.* Sic I. Reg. II. 3. *No-
 lite multiplicare loqui sublimia, gloriantes.* Tales certè hoc
 hominum genus, qui, nunc per Superbiam, atrocissima
 & horrenda fingerent; nam *ubi fuerit Superbia, ibi erit &
 contumelia*, Prov. XI. 2. nunc Scurilitatem in Christum
 spuerent. Rom. III. 13. *Venenum aspidum sub labiis eorum.
 Quorum os maledictione & amaritudine plenum est.* Quæ tan-
 dem labia, quæ ora impudica vult obmutescere, illusioni-
 bus suis, ne verbis aut sinistris cogitationibus mysteria
 Dei fugillent vel eludant. *Os omne obstruatur, & subditus
 fiat omnis mundus Deo*, Rom. III. 19. *Nec gloriatur omnis ca-
 ro in conspectu ejus*, I. Cor. I. 29. Scilicet quod non solùm è
 geminâ illâ radice pessimâ profluerent, sed & contrâ *Ju-
 stum*, imò contrâ Justissimum omnium, qui ut A V G V-
 STINVS ad h. v. *Christus est, quem de peccato arguere non
 poterant*, Joh. VIII. 46. dirigerentur. Unde iniquitas eò
 major. Id quod tamen in hoc Seculo haud prorsus ex-
 pectari potest.

§. XIV.

Pars (3) Ultimæ *Confessionis* Christi consistit in *Laudibus Bonitatis Divinæ*, ad v. 20. usque ad 25. Sic enim incipit: *Quàm magna multitudo, dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te.* Laudat verò eam prout elucet in genere ergà *omnes*, qui Deum timent, & prout in specie summa quoque hujus documenta *sibi* exhibita sunt; annexo ideò *Epiphonemate* quodam, ad illos, qui tanta bona vel experti sint, vel experiri velint. *Bonitatem* (α) appellat. Hebr. *מה רב טובך*. *Quàm magnum illud bonum tuum.* Bonum hoc, si in Deo spectes, verè magnum dici potest, quoniam est Infinitum. Et hoc pacto etiam Filio Dei ab æterno communicatum fuit. In tempore verò etiam Creaturis, quo sensu Finitum quidem est, sed tam multiplex tamen & arduum, ut vix numerari queat. Inspiciamus saltem Creationem, & in oculos statim incurret hoc testimonium, Gen. I. 31. *Viditque Deus cuncta, quæ fecerat: & erant valdè bona.* Sed & graviora adhuc sunt, quæ sunt Cœlestibus Creaturis, & cum his quoque Homini, tanquam omnium inferiorum præstantissimæ, Deoque charissimæ, promissa, utpote quæ Æterna sunt, Seculique Futuri Præmia. Et hæc quidem tanta, ut Servator Hominum causâ, qui iisdem Peccatis suis privati erant, tot mala, de quibus hoc Psalmo queritur, suâ sponte subierit. Quæ Nova iterùm Dei Bonitas, quam nulla alia Creatura, nisi solus homo, sibi polliceri poterit. Quocunque ergò mentem, quocunque oculos, quocunque nos rotos convertimus, apparent Bonitatis Dei radii. Nempè (a) Finis ipse Hominis tam insignis est, ut meliorem homo nec optare sibi, nec appetere unquam potuisset. Quare per *Dulcedinem* red-

reddit Vulgatus. Sed absconditus adhuc est, & quasi repositus, instar Theauri. Sic enim plerumque de eo loquuntur Scriptores Sacri. Servator ipse Matth. XXIV. 34. *Possidete paratum vobis regnum, à constitutione mundi.* Et Paulus verbis Esaiæ c. LXIV. 4. utens, I. Cor. II. 9. *Quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum. Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum.* Unde credenda hæc magis sunt & expectanda, quàm prolixè demonstranda. Credo, inquit David Ps. XXVI. 13. *videre bona Dei, in terrâ viventium.* Cumque hoc Summum Bonum sit, quod homini obtingere poterat, non nisi Deum Timentibus, h. e. ipsi Confidentibus, ipsum Diligentibus, quin Dei Voluntati, quicquid suscipiant, sub metu privationis tanti boni, Obtemperantibus, dabitur, nec profanum quicquam, aut Deo O. M. adversum, ejus particeps est, Apoc. XXII. 14. 15. Sed & Mediâ, ut eò felicius ad Finem hunc adspirent, (b) iisdem haud denegata, laudat Christus v. eod. *Perfecisti eos, qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum.* (N) *Perfecisti.* Hebr. פִּעַלְתָּ Operaris. Scilicet per Gratiam tuam. Sic enim Apostolus Phil. II. 12. 13. *Cum metu & tremore vestram salutem operamini. Deus est enim, qui operatur in vobis & velle, & perficere, pro bonâ voluntate.* Et c. I. 6. *Qui cæpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu.* Sic quoque I. Petr. V. 10. *Deus omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam suam gloriam in Christo Jesu, modicum passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque.* Operatur verò in *sperantibus*, scilicet qui per Fidem & Dilectionem locum Deo intrâ se fecerunt, ut & in reliquis virtutibus corroborentur. Eph. III. 16. *Det vobis secundum divitias gloriæ suæ, --- Christum habitare per fidem,*

dem in cordibus vestris, in charitate radicati, & fundati, ut possitis comprehendere. Et hoc, in conspectu filiorum hominum. Nimirum, si prudentes sint, ut metuant mala futura. Pf. LI. 8. *Videbunt iusti, & timebunt; & letentur de bonis presentibus.* Pf. CVI. 42. *Videbunt recti & letabuntur, & omnis iniquitas oppilabit os suum.* Sin sapiant, suâ æmulentur impietate. Pf. CXI. 10. *Peccator videbit & irascetur, dentibus suis frenet & tabescet.* Nec sufficit perfecisse, nisi etiam (2) abscondantur tempore perturbationis. Ideoque v. 21. *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ, à conturbatione hominum.* Ita cantat Davides Pf. XXVII. 5. *Abscondit me in tabernaculo suo.* Ita servat Deus Ecclesiam; pro ut cum Eliâ, in speluncâ latitante, servavit sibi ac faciei stræ, id est, gratiæ, cum omnia in Israël viderentur conturbata esse, septem millia, quæ nemo noverat, nisi Deus, II. Reg. XIX. 18. Denique etiam (3) protegit juxta Psalterium v. eod. *Proteges eos in tabernaculo tuo, à contradictione lingue.* Quæ senserat Christus ipse, idem sentiunt omnes pii. Ipse verò senserat fatis linguas meledicorum; contra quas tamen idem Joh. VIII. 19. *Est, qui querat, & judicet.* Et vaticinio oreque Davidico Pf. XXXIV. 1. *Judica Domine, nocentes me, expugna impugnantes me.* Itaque protegit omnes pios, dum causam eorum agit contra calumniantes; ut est Pl. XXXIV. 6. *Educet quasi lumen justitiam tuam, & judicium tuum tanquam meridiem.*

§. XV.

Laudat (9) etiam Christus *Bonitatem Dei erga seipsum* v. 22. 23. Scilicet (a) in genere dum protexit toto vitæ suæ intervallo v. 22. *Benedictus Dominus: quoniam misericors est misericordiam suam mihi, in civitate munitâ.* Verè dici-



dicitur mirificasse misericordiam aut gratiam in Christo, qui plenum eum gratiâ fecerat, Joh. I. 14. Gratiæque omnium ac Veritatis Salutiferæ autorem, ibid. v. 17. & quidem in ipsâ Ecclesiâ, tanquam Civitate Munitâ, Matth. XVI. 18. Proinde meritò benedictus, h. e. longè lateque celebratus. Sic ipse Luc. X. 21. *Confiteor tibi, Pater, &c. i. e. celebrot te.* Tum vero (b) maximè in Agone v. 23. *Ego, inquit, dixi in excessu mentis meæ: Projectus sum à facie oculorum tuorum. Ideò exaudisti vocem orationis meæ, dum clamarem ad te.* Verba hæc: *in excessu mentis meæ;* facile ostendunt, qualis fuerit, in quem Psalmus præcipuè directus. Græci LXX. ut supra notavimus, ἐκστασι verunt. In Hebr. est בחפזי, quod significat, *in trepidatione meâ.* Prout est Deuter. XX. 3. ואל תחפזו nec formidetis eos; scilicet cum in acie perstituri sint, adversus hostes armatos. Ita Christus adversus hostes suos egrediens, imò agonizans, cepit pavere & tedere, Marc. XIV. 33. Gr. ἐκταμβείσθαι καὶ ἀδημονεῖν. Et Luc. XXII. 44. Καὶ γενόμενος ἐν ἀγωνίᾳ, ἐκτενέσσειεν προσκύνων. *Et factus in agoniâ, prolixius orabat. Et factus est sudor ejus, sicut gutta sanguinis.* Benè scripsit THOMAS ad h. l. ex HIERONYMO: *Quod innuit Litera Hieronymi, aliquandò homo considerat gravitatem peccatorum, vel malorum imminentium: & ex hoc reputat se derelictum. Sicut Christus in personâ suorum dixit: Matth. XXVII. Deus, Deus meus, ut quid me dereliquisti.* Prout etiam Jonas, typus Christi, Jon. II. 5. *Et ego dixi: Abjectus sum à conspectu oculorum tuorum: veruntamen rursus videbo templum sanctum tuum.* Atque sic Christus maximè se precatum fuisse, maximeque exauditum, dicit, cum fastigium consequeretur necessitas.

§. XVI.

Epiphonema, quod (γ) annectit, & quo claudit vaticinium hoc, quodque hoc loco *Admonitionem* continet, Davidi non est inusitatum, v. gr. Ps. XXVI. 14. *Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.* Nec tamen Davidi, sed potiùs ipsi Messia hoc adscribendum. Ipse enim omnium optimè ab experientiâ suâ desumere poterat argumentum. Benè AVGVSTINVS Conc. Ultim. sub fin. *Jam ergò expertus, quid nos hortatur? Diligite Dominum omnes sancti ejus. Tanquam diceret, credite mihi, ego sum expertus. Habui tribulationes, invocavi, & non sum deceptus. Speravi in Deum, & non sum confusus. Cogitationes meas illuminavit, trepidationem meam firmavit.* Ita ergò v. 24. 25. *Diligite Dominum omnes sancti ejus, quoniam veritatem requiret Dominus, & retribuet abundanter facientibus superbiam. Viriliter agite, & confortetur cor vestrum, omnes, qui speratis in Domino.* Excitat (a) ad Amorem ergà Deum v. 24. *Diligite Dominum.* Excitat omnes Sanctos. Hi enim causam diligendi maximam habent, & Deum maximè diligere possunt. Nam cui dico, *ut diligat Dominum, --- quid adhuc diligit pompas seculi, & vanitates omnes, & insanias mendaces?* ut AVGVSTINVS l. c. Excitatque duplici de causâ, scilicet ob Custodiam ipsorum specialem, & Superborum, in ipsos irruentium, Pœnam. Illa indicatur verbis: *Veritatem requiret Dominus.* Rectius secundum Hebræum: *Fideles custodit Dominus.* Ut & Lutherus. *Die Gläubigen behütet der Herr.* Sic Ps. XXXIII. 21. *Custodit Deus omnia ossa eorum.* Et XCVI. 10. *Custodit Deus animas sanctorum suorum.* Hæc: *Retribuet abundanter facientibus superbiam.* Quod utrumque, ut exposuerat Christus

stus

stus de se in præcedentibus, v. gr. 3. 9. 21. ita nunc repetit, & applicat verbo ad omnes Fideles. Sed & (b) excitat ad Fiduciam v. 25. *Viriliter agite, & confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino.* Viros ideo se in actionibus sanctis vult præbere. Nam *qui mollis est in opere suo, frater est sua opera dissipantis*, Prov. XVIII. 9. Et deinceps etiam confortari corde, h. e. Deo confidendo, & in fiduciâ benè operando, semper augeri, & ut Paulus Eph. III. 16. *Virtute corroborari per Spiritum ejus, in interiorem hominem.* Excitat ideoque *sperantes*, cum spes augeatur per Fiduciam, ut eò sint certiores. Utramque verò rationem, quam pro Dilectione adjecerat, jam commodè vult repeti, nempe custodiam Sanctorum, & Vindictam Arrogantiæ.

§. XVII.

Ex hoc Psalmo jam fluit (I) Dogma præcipuum, quod in extremo *Mortis Articulo* nulla Deo Opera, nullumque Meritum offerendum sit, sed sola *Fides*. Quod si enim Christus ipse, qui tamen Meritorum aut Operum Bonorum thesaurum possidebat, rogavit tantum: *In manus tuas commendo spiritum meum; redemisti me, Domine, Deus veritatis*; quomodò nos rectius animam Deo commendare possumus, quàm summâ animi demissione, & certissimâ, solâque in Redemtionem Christi positâ Fiduciâ? qui etiam Meritis omnibus caremus.

§. XVIII.

Fluit (II) ex iisdem verbis Christi, quæ sunt Medullæ instar in hoc Psalmo, quod longè errent, qui dicunt, quod *Spiritus Hominis* sit merum *Phantasma*, vel sola quædam *Efficacia*; quia est potius Substantia

F

pecu-

peculiaris, suas Qualitates & Actiones proprias admittens. Quales etiam sunt Spiritus Separati, ut Intelligentiæ vel Angeli, & Animæ, à Corpore discedentes. Quid enim opus fuisset, Spiritum Deo tantâ curâ commendare, si post mortem quoque non maneret Substantia peculiaris? Siquæ non esset, nisi mera, quædam Operatio in homine vivente, aut post Mortem Memoria? *Animam occidere non possunt*, inquit Christus Matth. X. 28.

§. XIX.

Christiani Hominis (III) in *Afflictionibus* Officium est, optimumque Remedium, *Oratio*. Nempè hoc propterea Christus apprehendit, ut ostenderet, se, quamquam posset, tamen haud proficuum judicare, Vindictâ prosequi injuriam. Sic & alii eum imitentur, qui nec viribus Christo, nec jure quidem pares sunt, utut hostes sæpè in manus ipsorum, ut Saulus Davidi, I. Sam. XXVI. II. traditi esse videantur. Quin hoc remedium etiam præstat Jacobus, in Epist. c. V. 13. *καταπαθεὶ τις ἐν ὑμῖν; προσευχέσθω. Patitur quisquam inter vos? oret.*

§. XX.

Siquis verò (IV) cum Pœnam haud sensit, eò vehementius vires in fideles experiatur, caveat, ne *Extremâ* expectet, vel *Superbi* nomen, aut *Contemptoris* potius *Vindictæ Divinæ* referat. Quid enim est, quod Christus tam severè hortetur? *Viriliter agite!* nisi quod etiam, si sustinentur injuriæ, de certitudine gravitateque Vindictæ Divinæ dixerat: *Retribuet abundanter facientibus superbiam.* Imò illud v. 18. *Erubescant impii &c.* satis demonstrat, vanas haud esse Precès Christi.

§. XXI.

§. XXI.

Denique (V) *supremum* Piorum *Solatium* est *Christi Redemptio*, & *Spes* in hanc posita. Ipse *Servator* utrâque se consolatur in *Summis Cruciatibus*, etiamsi aliorum *gratiâ* pateretur, ac *speraret*, tamque arduum subiret *negotium*, quale erat *Redemptio*. Et propterea etiam se per *Apostrophen* ad *Sanctos* convertit, eos *blandè* alloquitur, erigitque *Spe Dulcedinis* aut *Bonitatis Divinæ*, *cujus* tantam multitudinem his, qui ipsum *timent*, *absconderit*. Quin erigit quoque, *promissâ* ipsis *perfectiõne*, ut & *protectiõne*, interim dum *machinentur* *contrâ* eos *impii*, & ad *finem* *consequendum* *sollicitâ* *quâdam præparatiõne*; *suumque* *ideò* *proponit* *exemplum*. Et in his omnibus ad *Conspectum* *filiõrum* *Hominum* *provocat*, ut eorum *testimoniis* *admotis*, *Solatium* *eò* *certius* *fortiusque* *fit*. Ergò his *verbis* *Christi* *nos* *quoque* *invicem* *erigamus*: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te!*



ORNATISSIMO
DOMINO RESPONDENTI
AMICO ET CONVICTORI SVO

S. P. D.

PRÆSES.

Quam hodie defendis Disputationem, Octava est, DO-
CTISSIME DOMINE LAMMERSI, in ordi-
ne earum, quibus Christum Redemptorem è Psalmis
Davidicis hæctenus descripsimus. Eademque ostendit, quò
animo tuo studiisque potissimum feraris. Reliquisti Acade-
miam Lipsiensem, ubi ferè per biennium Theologos celebrior-
es audiveras, & jam annum quoque alterum in Academiã
Julia inceptisti; nec Tibi clarius quicquam utrobique fuisse
demonstras, quam opera Scripturæ Sacræ impensa, & ad Ho-
miliæ Ecclesiasticas applicata. Nec tamen ceteras partes ambi-
tus Theologici ideò negligis. Plura jam scriberem, Teque ob
doctrinæ ac judicii profunditatem, non minus, quàm morum ho-
nestatem commendarem, nisi ipse Tibi argumento esses, atque
eundem Te, ubi opus est, fore, essem persuasus. Macete hoc pro-
posito tuo, macete eruditione, ac virtute. Non Te Christum in ipso
Dei Verbo, tanquam in Carne quondam suã, spectasse, pænite-
bit, quem alii per Traditionem magis, quàm ab ipsã facie vel per-
sonã, & ex actionibus noscere incipiunt. Ita TE Deus servet,
in Patriæ & Ecclesiæ decus, gaudiumque Parentis & Amico-
rum. Scribebam Helmstadii d. XXV. Septembr.

MDCCLXXVIII.

Ascendis cathedram, defendis dogmata sancta
Christi & quæ Psaltes ultima verba canit.
Doctrinam ostendis magnam, Doctissime LAMMERS,
Passo de Christo disseris egregie.
Solus nam doctus, * si Paulo credere fas est,
Christum qui passum noverit ac diligit.
Opto igitur cursu studii jam jamque peracto,
Conferat usque Tibi prospera fata Deus.

* 1. Cor. II, 2.

*Nobilissimo Domino respondenti hisce
congratulari debuit*

C. I. REDECKER

Osteroda-Hannov. S. Theol. Stud.
Dissert. Oppon.

CArmina quæ scribam Tibi jam Doctissime LAMMERS?
Nam laude es major caminibusque meis.
Defendis Psaltem Christi de morte loquentem,
Nobis quique refert ultima verba, David.
Hicce Tibi Christus semper sit maxima cura,
Et cunctis cœptis annuat iste tuis.

*Hisce versiculis, Pranobilissimo Doctissimoque
Domino respondenti omnia felicia fau-
staque apprecatur ipsius deditissimus*

JOH. GEORG. BREMER

Essenroda-Lüneburgicus S. S. Theol. St.
Dissert. Oppon.

Ich solte / Wehrter Freund / jetzt deine seltne Gaben/
Als die Geschicklichkeit / Verstand / Gelehrsamkeit /
Durch Lob und Ruhm erhöh'n; Allein ich fehle weit!
Ich müß' ein gankes Buch hiezu gewislich haben;
Und dann kan mancher auch das Rühmen nicht vertragen.
So wäre dann mein Lohn gewiß ein schlechtes Pfand/
Und alle meine Müß' vergebens angewandt.

Ich

Ich würd auch nur der Welt/ was ihr schon wissend/ sagen;
Drum ist zum Rühmen mir fast alle Lust benommen.
Statt dessen aber schiebt die treue Brust was ein/
Und soll mein heisser Wunsch vorjeko dieser seyn:
Wie deine Tugend ist/ sey auch dein Glück vollkommen.

Dem Hochgelehrten Herren Respondenten/
seinen Hochgeschätzten Freund/ sehet
dieses Glückwünschend/ und sich sei-
ner Gewogenheit bestermassen em-
phelend/ hinzu

JOH. DIET. FRANCKE,
Bremanus S. S. Th. Stud. &
Diff. Oppon.

Q Vi Christi volvit memori sub pectori mortem.
Gnaviter & recolens *ultima Verba* tenet:
Is præoptat Christi ingloria stigmata solum
Utque tenor vitæ sit sine labe suæ.
Hic Venus, hic Bacchus, laus, ornamenta pudenda
Musarum, quanquam sint, quibus hæc placeant,
Hic spureæ Voces, malesanaque murmura cessent,
Hic abeant mediis improba verba jocis.
Ultima Verba Dei dulcis Tu quæris Amice,
Hæc sunt hic cursus ultima Verba Tui.
Hoc sequor, atque Tuum corpus, spiracula Vitæ,
Et quæcunque moves, omnia trado Deo,
Qui miris vastum moderatur legibus orbem,
Hæc Voti quoque sunt ultima verba mei.

Adjecit cum voto omnigenæ prosperitatis

D. P. CRVSEN.

oo 22.) o (22



EO.-Bj. 2002

01 A 6727

ULB Halle

3

003 104 745



WA

Rha





Sitt / der du Sonn und Schild ! Laß Seegens-Ströme fließen /
Und sich in reicher Maas auf Jonathan ergießen !
Dies wünscht aus heissem Trieb und mit Ergebenheit /
Ein Herr / daß Dir / mein Freund / zu dienen stets bereit.


Dieses schrieb in Bezeugung seiner Hochachtung
und beständigen Erinnerung der gepflanzten
Freundschaft des Geehrtesten Herrn Bojen
ergebeuster

N. D. THO ASPERN Palæogæa-Brem-
Opponens.

REx Regem Christum, sanctusque Poëta Davides
Mittendum, plectro, & præcinit ore Dei.
Tu calamo pingis missum, ringente catervâ,
Quam, ne quid possit, destruis arte novâ.

Doctissimo Dn. Respondenti amoris & honoris
gratiâ adplaudabat

ASCAN. CHRISTOPH. DV ROY
L.L. Cult.



ad Th. Asp. 1783

PSALTES PROPHETA
DE
VERBIS
VLTIMIS CHRISTI
MORIENTIS

AD PSALMVM XXXI.

PRÆSIDE
JON. CONR. SCHRAMMIO
S. S. THEOL. D. ET PROF. PVBL. ORDIN.
CELEBERRIMO

RESPONDENTE
GEORGIO LAMMERS

